REGNI FAMES

Non Regia,

Fraterno GEORGII Clarentiæ Ducis fato,

ad minimè secundas mensas

EDVARDO bis secundo

Rege Angliæ

EXSATIATA,

inter hilares verò Carnisprivij ferias,

Eventu Tragico

Ab Illustrissima, Perillustri, Magnifica ac Prænobili Studiosa Iuventute Collegij Palatino-Novogrod: Soc: IESU

ADUMBRATA.

Anno

Dei-Hominis, exsatiandæ mortalium fami, Cibi facti 1681.

ARGUMENTUM.

QVid non mortalia cogat pectora, etiam Regalis auri Sacra fames, ignorat qvisqvis, in Angliam, pupillam transferat: ubi Edvardus IV. ab æmulis Regno (uti rebatur) Fratris instinctu pulsus, sed paulò post, adjutus à Carolo Burgundiæ Duce, eodem recuperato, Georgium Fratrem Clarentiæ Ducem, aucta suspicione & invidiâ, ex assentantium vaticinio, successionem in Regnum, à G. litera inchoatum habenti nomen portendente in [...]o malvatici vini suffocari jussit. *Georg: Hornus Orbis Polit: parte 3. p. 91.*

[...]iatkie: ad An: 1476

PROLOGUS.

Famenti inter cænas Regnorum redemptas divitijs; Edvardi Genio, Fortunâ Regia apponit bellaria, sed ijs oculum duntaxat pascit non animum, satiandum non nisi Fraterni cratere Sangvinis, qvem etiam Dolis ministrantibus, in ejusdem exitium ebibit.

ACTUS 1mus.

Scena I. Consultantibus Proceribus post ejectum Edvardum, de subrogando in Regnum Georgio, superveniunt Legati, ab Edvardo pacem ad injuriarum oblivionem offerentes, Caroli verò Burgundiæ Ducis nomine bellum intentantes, nisi Edvardo Regnum restituatur. Perculsi novâ potentiâ Edvardi ex accessione Caroli, decernunt per legatos ad Regnum invitandum, ne inviti victorem pati cogantur.

Scena II. Edvardus jam Regnum ingressus cum exercitu, lustrando castra, incidit in Gofredum affinem, lectione libri magici occupatum, in quo advertit illud: *Septima cavenda, dulce ne fatum ferat.* Gofredus sui immemor nominis, de G. litera 7ma interpretatur; atq; illicò à Rege, contra quem moliri quidpiam ferebatur, fraudes exprobrante trucidatur.

Scena III. Superveniunt legati ad Edvardum, statum Regni nomine ad thronum invitantes, gratulante Carolo, qvòd Regnum recuperet, sine profusione sangvinis subditorum.

Scena IV. Reduci ad sceptra Regi, occurrunt Proceres, clementiam exorantes. Condonat offensam omnibus, de solo Georgio anxius, qvòd sibi offensum non dubitet. Meliora de illo spondent Proceres, adventumq; ejus pro deprecatione, brevi pollicentur.

Scena V. Venit Georgius, Fratrem deprecatur; utq; magis de sua fidelitate Regem persvasum reddat, si qvid sit attentaturus, naufragio se (utpote brevi in Zelandiam navigaturus) devovet, *si fallo*, inquiens *salsa, dulcis aut mergat thetis.* Rex vicissim in signum benevolentiæ, horologium pectorale donat, cum illa (quam incidi jusserat) epigraphe: *septima cavenda.*

Scena VI. Superveniunt cæteri Proceres, præsertim Princeps Glocestriæ: interim per errorem horologij locò tertiæ post secundam, hoc est bis fortunatam (quâ Fratri & multis Procerum est reconciliatus) septimâ sonante hora, Edvardus revocans illud: *septima cavenda*, fraudem aliquam reveritus perturbatur; ad lætiora tamen à Proceribus animatus, convivium apparari jubet.

INTERLUDIUM
CHORUS.

Genius Edvardi prono Fortunæ invectus fluctu, dum Georgij onerariam vult demergere, vix ipse evadit naufragium, accinentibus Nymphis: sæpe dolos, sibimet fatales esse.

INTER-

INTERLUDIUM ACTUS 2dus.

Scena I. Georgius advertens perpendensq; illud: *septima cavenda*, obdormit; visusq; sibi naufragium quoddam dulce pati, audit: *Dolo propinqvum nomen & numen cave:* evigilat trepidans, adireq; statuit in propinquo eremicolam, ad ædem Virginis Stellæ maris habitantem.

Scena II. Dolinus Edvardo in consilijs oraculi locò habitus, Georgio offensus, eundem insimulat doli cujuspiam. Augetur in Rege suspicio contra Fratrem, revocante illud: *septima cavenda*: qvare adnotans primum inter suspectos, dolo præventurus dolos, Dolino tollendi committit modum.

Scena III. Digressus â Regia Dolinus, offendit Georgium tristem ob auditas in somno voces: *Dolo propinqvum &c:* ad ædem sacram properantem: dissvadet Dolinus statuam in illa æde Beatæ Virg: (utpote hæreticus) idolum, hoc est *dolo propinqvum nomen & numen* vocitando. Georgius exardescens contra blasphemum, de illo magis re & nomine Dolino interpretando, fatali ictu sternit exanimem.

Scena IV. Gratulatus sibi dolos Dolino sublato evitatos, divertit ad ædem Sacram, votum pro felici eventu somnij facturus, ubi in exstasim raptus, videt Fratris Genium, caput qvoddam in utre pleno sangvinis(uti qvondam Cyri Thomiris) demergere; auditq;: *tum qvando dulcem sangvinem terræ bibes:* rediens ad sensus, trepidansq; dum secum ruminat,

Scena V. Supervenit Adornus lamentans occisum Fratrem: Georgius in Edvardum devolvit, & sibi ab eodem dolos parari asserit: utq; suspicionem necis amoliatur, contra Edvardum cum illo conjurat.

INTERLUDIUM. CHORUS.

Genius Georgij ad fortunatas contendens insulas, à Dolis circumventus, penè in ipso portu subit naufragium, Syrenibus inconstantem Fortunæ malaciam edocentibus.

INTERLUDIUM. ACTUS 3tius.

Scena I. Euntem ad convivium Georgium, assecutus Adornus præcavet, septimum ne tangat scyphum. Georgius suspicatus id qvod erat, venenatum nempe futurum, illud: *septima cavenda* de Fratre explicat.

Scena II. Fervente inter plausus Ephebорum lætitiâ Rex pugillares inspicit: qvo alteratus non nihil Georgius memor dulcis naufragij somniati, venenum timens à potu abstinet: advertens tamen ex eodem scypho Regem bibere, & ipse moerorem tacitum præsagum mali, mero diluit.

Scena III. Finito ſaltu, Adornus pro Regis ſanitate, craterem ad fundum ebibit, ſeptimum verò jam hunc, occultê veneno miſto, Regi porrigit. Rex caſu, indeguſtatum Georgio offert: præcavet Adornus geſtu aliqvo, qvem advertens Rex venenum inclamat, cogitq; Fratrem ad bibendum, ſed ille Adorno reddit, redeunte nempe ſcelere in authorem. Hic coactus ebibere, mox vi veneni concidit, dolum alteri paratum, ſibi dolendum inclamans.

Scena IV. Edvardus in furorem actus; Fratrem armis aggreditur, dolos è pugillaribus, & conſpirationem cum Adorno exprobrans. Mitigatus non nihil, cœlo perſolvit grates, qvòd ſe illo præmonuiſſet: *ſeptima cavenda, dulce ne fatum ferat*, & à Fratre inſidiante, cujus nomen à litera 7ma inchoatur, defendiſſet. Georgium interim in cuſtodiam rapi jubet.

Scena V. Deprecantibus pro Georgio Proceribus, exardeſcens rurſum Rex, revocari Fratrem mandat, & qvod ipſe evaſerat *dulce fatum*, ſubire Georgium illicò in malvatici vini dolio mergendum jubet. Interim ſonante 7mâ horâ, de hac ſibi Georgius explicat illud: pectorali inſcriptum *ſeptima cavenda*; hocq; naufragium illud dulce portendiſſe. Devenit in ſenſum illius viſionis in æde ſacra, vociſq; : *tum qvando dulcem ſangvinem terræ bibes*, hoc eſt vinum, ſic enim apellatur. Explicat & illud: *dolo propinqvum nomen & numen cave* de dolio & Baccho, qvi Deus vini à Poëtis vocatur. Tandem poſt exprobrationem illius imprecationis: *ſi fallo, ſalſa, dulcis aut mergat thetis*, demergitur, lætante Rege qvòd fatalem literam in Georgio evaſiſſet, ignaro tamen qvòd brevi Gloceſtriæ Princeps (ut author addit) cum vita Regnum eſſet erepturus.

EPILOGUS.

Luxus ſæculi ad inſtructas omni voluptatum genere menſas, teneram præſertim ætatem pellicit; ex adverſo Religio edocens, ſæpe dolos dolijs, & mæro res permiſceri mero, vitamq; non rarò in vitibus naufragari, ad Sacras potiùs, Numinis Cibi facti, Cæleſtiſq; Vitis, in vitam mortalium eliqvatæ, invitat Epulas.

Ad M. D. G. B. V. M. S. L. O: C. Honorem.